

**Primae lineae de cognoscendis mulierum morbis in usus academicos /
Recudi curavit D. Ioann. Christian Traugot Schlegel.**

Contributors

Doeveren, Gualtherus van, 1730-1783.
Schlegel, Johann Christian Traugott, 1746-1824.

Publication/Creation

Leipzig : C.F. Schneider, 1786.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ps5qykpz>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DR. GVALTH. VAN DOEVEREN,

MEDICIN. IN ACADEM. BATAVA, QVAE
LEIDAE EST, PROFESSORIS,

PRIMAE LINEAE

DE

COGNOSCENDIS MULIERVM MORBIS

IN

VSVS ACADEMICOS.

RECVDI CVRAVIT

D. IOANN. CHRISTIAN
TRAVGOTT SCHLEGEL,

MEDICVS APVD LONGOSALISSESES.

L I P S I A E ,

APVD CAROL. FRIDER. SCHNEIDER,

cIcIccLXXXVI.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b31913945>

VIRO
EXCELLENTISSIMO,
CHRIST. FRIDERICO
DANIEL,
MEDICINAE DOCTORI
CELEBERRIMO,
CONDITORI
SYSTEMATIS AEGRITUDINVM
SAGACISSIMO,
MEDICO FELICISSIMO, AMICO
EXOPTATISSIMO
OBSERVANTIAM atque AMICITIAM
PVBLICE TESTARI VOLVIT
IOANN. CHRIST. TRAVG. SCHLEGEL.

LECTORI AEQVO

S. P.

Dr. SCHLEGEL.

Lineas has primas, de cognoscendis mulierum morbis, quas, beatae atque immortalis memoriae Doctor ille ac Professor Medicinae Batavus, C E L E B E R R. V A N D O E V E R E N ante decem annos in usus academicos solertissime accuratissimeque duxit, et publici iuris fecit, praelectionibus de his morbis, in academiis habendis, prae ceteris omnino esse aptissimas, nec ullus, qui hanc doctrinam callet, inficias ivit.

Haud inutilem itaque operam me suscepisse existimo primarum illarum linearum, editione euulgatarum hac noua, a me curata. Anno MDCCCLXXV.
Lugduni Batauorum typis exscriptum

opusculum, etiam si mole paruum atque adspectu leve, attamen materia, quam hic pertractatam videoas, ponderosum, in bibliopolia Germaniae minus frequens translatum erat, quin a nostratis, et praecipue ab artis salutaris studiosis, persaepe frustra desideraretur. Iis ergo in gratiam factum est, ut iam exstet libellus in Germania, et quidem idiomate latino, quo fuerat conscriptus.

Non est denique, ut opusculum id, quod hic denuo sub prelo prodiit, superuacaneis meis ornaretur commendationibus. Nostrum vero erit, ut tam praeclara eruditionis medicae documenta, ab haud paucis perstudiose quaesita, atque spe non raro falsa desiderata, porro exquiramus, prelo iterum subiiciamus, et hoc consilio non frustra commodis aliorum inservire videamur. Scrips. Longosalissae, d. VI. April, MDCCCLXXXV.

A U-

AUDITORIBUS SUIS

S. P. D.

A U C T O R.

Momentosam Doctrinae Medicae partem de Mulierum Morbis cum Vobis in Praelectionibus Academicis exponere statuisse, nullum inveni Librum, cuius normam in docendo commode sequi possem: facile enim videbam, plerosque Medicos vix satis adducere illarum causarum, quas suppeditat Ars obstetricia, genuinus ille et uberrimus cognitionis muliebrium morborum fons; atque Artis obstetriciae Scriptores vix tam apto & concinno ordine illos morbos exponere, qualis mihi arrideret. Solent praeterea etiam sua cuique prae ceteris placere. Conscripti itaque, et in Praelectionibus calamo excipiendas recitavi, Primas hasce Lineas, quae docenti atque discentibus melius inservitiae mibi videbantur. Expertus vero, quantum sic temporis.

fiat dispendium, prospiciensque errores,
qui transscribendo in huncce textum pos-
sint irrepere, ut evitarem has difficul-
tates, utque eo melius vestris commo-
dis consulerem, in animum induxi, ty-
pis descriptum eum exhibere, elaborati-
us forsan in posterum in lucem proditu-
rum. Quod ut tanto cum vestrorum
studiorum emolumento, quantum mibi
evidem proposui, fiat, vehementer ex-
opto. Valete! Scribebam Lugduni Bat.
d. 25. Sept. 1775.

IN.

I N D E X

C A P I T U M.

C A P. I. §. I.

De Morbis Mulierum in genere.

C A P. II. §. XV.

De Morbis Virginum.

C A P. III. §. XXV.

De Morbis Mulierum Nuptarum.

C A P. IV. §. XXVII.

De Morbis Gravidarum.

C A P. V. §. XLVII.

De Morbis Parturientium.

C A P. VI. §. LXXXIV.

De Morbis Puerperarum.

C A P. VII. §. CV.

De Morbis Lactantium.

C A P. VIII. §. CXVIII.

De Morbis Effoetarum seu Vetularum.

M U T I S
PRIMAE LINEAE
DE
COGNOSCENDIS MULIE-
RUM MORBIS.

C A P U T P R I M U M.

De Morbis Mulierum in genere.

§. I.

Morbi Mulierum, ut recte intelligantur, dividi debent in duas classes, quarum prima complectitur *Universales*, vel communes, qui, licet etiam in sexu masculino contingent, omnibus tamen Feminis, quovis fere vitae tempore, ex sua natura et corporis habitu, potius quam Viris, accidere solent; altera continet *Particulares*, vel proprios, quibus certae Feminarum aetates, et varia vitae stadia, eorumque munia magis obnoxia sunt.

§. II. *Universales* Feminarum morbi plerique tales sunt, ut iidem, vel saltem illis similes, in Viris quoque aliquando ocurrant,
non

DE MORBIS MULIERUM. II

non vero, ob corporis eorum constitutio-
nem, tam frequenter hos, quam sexum se-
quiorem, affligere observentur: quare eate-
nus quoque inter Mulierum morbos tractan-
di videntur.

§. III. Quoniam vero horum omnium
expositio universae fere Pathologiae et Pra-
xeos ambitum complecti deberet; breviter
tantummodo primarios illorum fontes indi-
cabimus, et Primas hasce Lineas praecipue
accommodabimus explicationi Morborum Mu-
liebrium, qui Particulares vocantur.

§. IV. Universales itaque Morbi mulie-
bres derivandi sunt, 1º. Ex totius corporis
Feminarum compage minus firma, laxiore,
et debiliore, quam Virorum, indeque pen-
dente illarum temperamento phlegmatico,
vel ad summum (paucis robustioribus ex-
ceptis) sanguineo: unde, ceteris paribus,
procliviores sunt in singulos morbos, qui
ex pituita nimia, et lymphae aut seri collu-
vie, vel et sanguinis abundantia, cacochy-
mia motuumque vitiis, oriuntur; v. g. leu-
cophlegmaticos, chloroticos, hydroscopicos;
obstructiones frigidas, viscidas; congestio-
nes; haemorrhagias; harumque effectus mul-
tiplices.

§. V.

§. V. 2°. Ex majore sensibilitate et tenuritudine partium solidarum irritabilium et sentientium, id est fibrarum motricium et systematis nervosi: unde fieri solet, ut corporis et animi commotionibus, perturbationibus, spasmis, convulsionibus, et inde oriundis effectibus, sine longe magis obnoxiae; v. g. passioni hystericae, epilepsiae, similibusque malis: quo forte haud immērito ipse Cancer revocari potest.

§. VI. 3°. Ex mirabili consensu, quem in variis vitae stadiis, eorumque muniis, cum vicinis non tantum, sed et cum remotioribus partibus habet Uterus, inde sexcentorum morborum fons apud Hippocratem jam vocatus.

§. VII. 4°. Ex Animi plerarumque Feminarum sensibilitate nimia: neque enim alienum a vero videtur, huc ipsam quoqne hujus agilitatem et vivacitatem majorem revocari debere, quae corporeae praedispositio- ni super'accedens, in quam plurimis frequen- tiā morborum, ex nimia sensibilitate, irri- bilitate, et nervorum affectione pendentium, summopere auget.

§. VIII. 5°. Ex diverso corporis Femina- rum mechanismo, ratione in primis Parti- um

um generationi inservientium: quo spectant praecipue sterilitatis variae species; hydrops ovarii et uteri; affectiones nonnullae venereae; atresiae diversae; uteri et vaginae scirrhī, carcinomata, sarcomata, herniae, descensus, prolapsus, aliaque mala.

§. IX. 6°. Ex diverso habitu aliarum nonnullarum partium, quae quidem minus a virilibus differunt, fabrica tamen sua magis minusve diversae sunt: huc pertinent Feminarum alvi frequens durities; herniae crurales, umbilicales et vesicae; mammarum morbi varii; claudicationes etc.

§. X. 7°. Ex multarum Feminarum singulari vitae genere, quo morbos multos contrahunt, quorum plerique (praeēunte Rammazzino) commode ad Artificium morbos possunt revocari: huc v. g. spectant Lotrices; Nutrices; Puerpararum aegrarumque curam habentes; ipsaeque in primis Obstetrics et omnes, quae vitae sedentariae addictae sunt, veluti Vestales, Sartrices, similesque.

§. XI. 8°. Ex pravis nonnullis consuetudinibus, quae Feminas magis, quam Viros, occupant: quarum aliae in vestimentorum perversa indole atque applicatione, aliae in aliis

aliis consistunt conditionibus: quo v. g. spectat dilectus plerisque cum vita sedentaria infusorum calidorum potus, frequens illa morborum origo; nec non suppedaneorum fatus, cui multae, in primis nostrates, indulgent Feminae, et quo frequentes sibi humorum derivationes ad inferiora membra, anxietates, lipothymias, passiones hystericas, menses inordinatos nimisque copiosos, profluvia, abortus, fluorem album, aliave uteri mala contrahunt. Forsan et topica crurum femorumque vitia, quibus toties vexantur, ardore, pustulae, excoriations, ulcera, glandularum inductiones, scirrhi, cutis ex crescentiae malignae, cancrosoe, imo et corneae, huic fonti non raro attribui debent.

§. XII. 9°. Ex variis vitae Feminarum studiis generaliter eae praedisponuntur ad innumeros morbos, quorum quidem nonnullos etiam patiuntur Viri, qui tamen ex causis ista mulierum stadia comitantibus, iisque propriis, frequentissime has afficere solent: horum vero fontes singulares et Morborum particularium explicatione deinceps facile patebunt.

§. XIII. *Particulares* vel Proprii Feminarum Morbi (§. I.), scopum nostrum prae ceteris ferientes, illi dicuntur, qui Feminis ex natura sui corporis, et singularium partium fabrica,

fabrica, earumque functionum diversitate, contingunt, ideoque ex vario in primis aetatis earum termino petuntur.

§. XIV. Infantia autem Puellarum quum vix aliis, quam Puerorum aetas, morbis obnoxia deprehendatur, nulla hujus ratio in cognitione Morborum Muliebrium habenda videtur: possunt itaque hi, juxta reliqua vitae muliebris stadia, ad tres ordines revocari, ut sint nempe Morbi

I^o. Virginum;

II^o. Mulierum nuptarum, qui in morbos Gravidarum, Parturientium, Puerperarum, et Lactantium distribuuntur;

III^o. Vetularum seu Effoetarum.

C A P U T S E C U N D U M.

De Morbis Virginum.

§. XV.

Vocantur *Morbi Virginum* illae Feminarum affectiones, sanitatem laedentes, quae has a pubertatis annis usque ad matrimonium, vel donec coelibes evadant effoetae, ita affligunt, ut potius ex conditionibus Virginibus propriis, quam ex aliis causis, fluant: quarum tamen multae etiam corripiunt Mulieres et Vetulas, similibus saepe conditionibus expositas.

§. XVI.

§. XVI. Fontes primarii, e quibus Morbi Virginie scaturiunt, sunt sequentes: 1°. Mutationes prorsus singulares, quae ex constanti Naturae lege, circa tempus pubertatis, in corporibus Virginum excitantur, in primis a plethora, multorum saepe malorum causa, priusquam determinato vasorum motu Menses per uterum evacuentur.

§. XVII. 2°. Vitia quaedam partium genitalium organica, quae mensium fluxum eo tempore impedire, vel et Virgines ad concipiendum ineptas, sive steriles, reddere, vel aliis malis ansam praebere possunt; v. g. vaginae, uteri, tubarum, ob varias causas, arcta nimis apertura, vel et earumdem partium nimis frequens atresia seu imperforatio; nec non scirrhi, polypi, sarcomatis, similisve mali praesentia in iisdem.

§. XVIII. 3°. Menstruae evacuationis, quae salutari Naturae conamine tempore pubertatis regulariter excitari debet, retardatio, difficultas, suppressio, retentio, vel et immunitio, propter dictas non tantummodo, sed et alias multas causas, frequentissime locum habens, multimodis saepe nocet.

§. XIX. 4°. Mensium fluxus nimius, praecox, vel nimis frequens, licet crebro haud affligat

ipso partu non tantum dolores, deliquia, anxietatem, sed et validas uteri contusiones, imo aliquando rupturam, excitant.

§. LXV. 3°. Videtur et motuum ejusdem nimia debilitas sua mala producere nonnunquam possit.

§. LXVI. 4°. Situs Fetus iniquus, quo caput ejus a positione naturali deflectit, aut aliae, quam in partu naturali, partes praeviae sunt, dystociae, morbisque magnis et multis, Mulieres exponit.

§. LXVII. 5°. Morbi Fetus varii haud levi periculo exponunt aliquando Parturientes, v. g. hydrops abdominalis, pectoris, capitis; variarum partium excrescentiae, aut tumores; imo et convulsiones.

§. LXVIII. 6°. Monstrosa fabrica prae reliquis hic etiam memorari meretur, uti Fetus bicipites, bicorporei, connati, similesque, probant.

§. LXIX. 7°. Neque omnino excludi posse ex hoc causarum fonte videntur Partus ferotini, quibus ultra maturitatis terminum consuetum Fetus excluduntur.

§. LXX. 8°. Numerus auctus in Partu gemelorum, trigeminorum, pluriumve fetuum, similiter gignit morborum fontem, tum praecipue ob uteri distensionem nimiam, indeque natam ejus atoniam, tum propter molem, partus diuturnitatem, aliosque effectus.

§. LXXI. 9°. Mors Fetus, cum suis effectibus variis, in hunc censum etiam referenda est.

§. LXXII. 10°. Secundinae, a Natura vel Arte educendae post partum, quatenus potius inter Fetus, quam Matris, partes recensi merentur, suis quoque vitiis innumerā, caque ingentia, mala Parturientium possunt inducere, v. g. ubi nimis fortiter cum utero cohaeret placenta; ubi intempestive, vel praecociter, extrahitur; ubi in peculiari sacco incarcerata est; ubi pro parte, vel tota; in partu ab utero solvitur; ubi aliam, quam debitam, sedem in utero, in primis ad orificium hujus, occupat; ubi vitium quoddam singulare, vel corruptionem, contraxit; ubi funis umbilici praevius elabitur, vel nimis brevis est, aut laquei instar Fetus corpus collumve retinet etc.

§. LXXIII. 11°. Spectat quoque huc effluxus praematurus Aquae amnios, cuius insignis

signis est ad dilatandum orificium uteri, et partum promovendum, utilitas; quamvis diurna nimis retentione, magnaque copia, et nimia uteri expansione, nocere parturienti eadem etiam possit.

§. LXXIV. III^o. Ad *Obstetricantem* denique (§. XLVIII.) etiam referri possunt variae causae morbifcae parturientium Mulierum; quarum praecipuae sunt: a) Situs Parturientium incommodus, vel noxius, ad Naturae et Artis regulas non satis recte compositus.

§. LXXV. β) Rudiores contrectationes partium genitalium tam externarum, quam praecipue internarum; quo v. g. frequens exploratio et orificii uterini irritatio; inutilis vaginae dilatatio; violenta ossis coccygis repressio; imprudenter facta enematum injection; catheterismi minus dextre peracta operatio; tactus frequens per anum; similesque aliae spectant.

§. LXXVI. γ) Applicatio Instrumentorum obstetriciorum incauta, violenta, intempestiva, quae saepe dolores, contusiones, lacerationes, vulnera, aliasque laesiones, producit: nonnunquam inevitabiles, quando illorum usum dira exigit necessitas.

§. LXXVII. δ) Encheireses Versionum infantum, qui perversum in utero situm habentes partu Agrippino excludendi sunt, saepe dolorosae, difficiles, morbosae.

§. LXXVIII. ε) Extractio Secundinarum difficultis, violenta, praecox, neglecta, aliove modo praeternaturalis.

§. LXXIX. ζ) Intempestiva Aquae amnios effusio, membranarum laceratione vel percusione nimis festinanter excitata: aut et aliquando ejusdem nimis diurna, propter dolorum inertiam, vel membranarum ovi tenacitatem, retentio.

§. LXXX. η) Fissura Perinaei. saepe ad intestinum usque rectum procedens: non semper tamen culpae obstetricantis tribuenda.

§. LXXXI. θ) Uteri descensus, prolapsus, volvulus, inversio, aliaque similia mala, a festinatione maxime metuenda.

§. LXXXII. Cuilibet attendenti facile apparebit, quam multa, quamque gravia, in Parientibus oriri mala possint, si, uti saepe fit, expositae diversarum specierum causae in eodem corpore concurrant.

§. LXXXIII. Non sinit instituti nostri ratio, omnes pertractare Morbos, qui Parturientibus ex singulis tribus memoratarum causarum fontibus evenire possunt, et revera saepissime contingunt, quippe Artis obstetriciae, ex quaque plerique hauriendi sunt, cognitio supponi debet: nonnullos tamen paulo accuratius exponemus, quorum curatio frequenter occurrit Practico clinico, et qui non raro insignem a Medicina accipiunt opem, quam ab Arte obstetricia sola aliquando nec desiderare, neque exspectare possumus, v. g. (α) Dolores partus spurios; (β) Partum lentum atque difficultem; (γ) Haemorrhagiam uteri in partu ipso supervenientem; (δ) Convulsiones parturientium; quibus etiam (ε) nonnulla de abnormali sanguinis motu, indeque natis earum Congestionibus tractandis, addi poterunt.

C A P U T S E X T U M.

De Morbis Puerperarum.

§. LXXXIV.

Ordine suo *Puerperarum Morbi* nunc memorandi illi nominantur, qui post partum editum eveniunt Mulieribus ex causis directe e peracta fetus exclusione, ejusve sequelis, pendentibus, aut valde arctum saltēm

cum eis commercium habentibus: quae quum multae et variae sint, hinc etiam plurimi, suaque indole diversi, in Puerperis occurrere solent morbi, partim his solis proprii, partim Mulieres in aliis suae vitae stadiis etiam corripientes.

§. LXXXV. Eorum fontes primarii sequentes haberi possunt: 1°. Pleraque mala, quibus ex triplici fonte (§. XLIX, LXIII, et LXXIV.) obnoxias esse parturientes vidimus, in Puerperium tantum habent influxum, ut, hoc durante, pergant Mulieres affligere, vel et novorum morborum causae fiant.

§. LXXXVI. 2°. Speciatim vero recensenda est laesio quaecunque, aut violentia, partibus generationis in partu illata, tam in fetu, quam in secundinarum, exclusione: unde haemorrhagiae earumque sequelae; fluxus lymphae, saniei, puris; dolores, spasmi, distensiones, tortina, inflammatio, suppuration, ulcus, gangraena uteri, aliarumque partium genitalium; urinae et faecum viae affectiones variae, earumque foeda excretio; haemorrhoides; tenesmi; diarrhoeae; artuum inferiorum dolor tumorque varius, et multa alia mala.

§. LXXXVII. 3°. Summa sensibilitas, qua in

in Puerperiis affectae sunt partes corporis mobiles et nervosae, accedensque maxima animi illarum agilitas, quae mirifice inter se communicant, et multis morbis facile obnoxias redunt Mulieres, quibus in alio stadio non ita facile afficerentur, singularem quoque hic attentionem merentur.

§. LXXXVIII. 4º. Agilitatem istam nimiam, tum corporis, tum mentis, in multis excitant augentque animi frequentes affectiones intensae, ab excessu metus, terrore, moerore, aut et ira, ipsoque nonnunquam nimio gaudio, profectae: ex his, et duplii eo fonte, quem n. 3. exhibet, Puerperae saepe patiuntur spasmos, convulsiones, evacuandorum suppressiones, febres, mentis commotiones, deliria, melancholiam: inde etiam haud raro ipsa phrenitis, vel et mania Puerparum, praecipue derivanda videtur.

§. LXXXIX. 5º. Accedit dictis saepissime ingens corporis, variarumque partium, speciatim cerebri et reliqui capitis, singularis debilitas, quae frequentia in Puerperis excitat animi deliquia, lipothymias, syncopen, convulsiones, aliosque in mortem non raro tendentes morbos: eademque haec conditio, simul cum n. 3. et 4., in primis facit, ut Puerperae longe maximum vitae periculum incur-

rant, quando corripiuntur morbis variis, qui etiam alias quidem, sed minore cum periculo, Feminas afficere solent, v. g. febribus acutis, inflammatoriis, aliisve: unde pleuritides, peripneumoniae, colicae, diarrhoeae, variolae, aliaeque iis adeo sunt perniciose.

§. XC. 6°. Adeat praeterea in plerisque Puerperarum corporibus, ob varias causas, ingens ad putredinem dispositio: quae etiam frequenter, in primis si calide nimis tractentur a Medicis, aliisve earum curam habentibus, sua excitat effecta; partim illa, quae a primarum viarum sordibus dependent, uti anxietates, febres, vomitus, flatus, tormina, colicas, diarrhoeas; partim ista, quae ingressam in sanguinem corruptam materiem indicant, v. g. varias febres putridae et malignae indolis, purpuram, miliarem, petechialem, earumque sequelas.

§. XCI. 7°. Aliquando etiam epidemica causa Puerperas prae reliquis mulieribus infestat, producitque diarrhoeas, colicas, entritis, pleuritides, aliasve inflammationes; alias excitat febrem purpuram, aut miliarem, aliamve malignam; aliquando et lactis, vel lochiorum, aberrationes.

§. XCII. 8°. Ex nervorum lumbalium et ossis

ossis sacri tensione, irritatione, compressione, durante partu facta, varii morbi in Puerperis derivari etiam debent, tum universales dolorosi, spasmodici, convulsivi, tum particulares, v. g. dolor coxarius; ischias nervosa; femoris et cruris immanes eructiatus, immobilitas, stupor, tumor, inflammatio, quandoque et paralysis; neque raro variae partium mollium pelvis affectiones.

§. XCIII. 9°. Maxima mutatio, quae post partum absolutum visceribus abdominalibus et pectoralibus contingit (praeter derivationem sanguinis ab aliis partibus, ipsoque in primis cerebro) in his multas morborum causas potest excitare; v. g. impetuosos humorum influxus, obstructions, inflammations, colicas, diarrhoeas etc.

§. XCIV. 10°. Injecta abdomini, ex prav more, cingula seu fascia, irrita non tantum, sed et pernicioса, solet esse Puerperis, nec inmerito a Jo. Gortero multum damnata.

§. XCV. 11°. Si uterus post emissum fetum sufficiente vi contractili non polleat, in primis, si tum ex illo praecociter, aut imprudenter, extrahatur placenta, periculosisimis morbis, summoque vitae discrimini, expoununtur Puerperae, scilicet prolapsui, aut vol-

vulo, imo inversioni uteri perfectae, vel haemorrhagiae violentae, post solutam ab eo placentam, haud facile compescendae: quos ferre omnes effectus sequuntur convulsiones, et certa mors.

§. XCVI. 12°. Relictae in utero, et a constricto orificio retentae, soluta placenta aut portiones secundinarum; grumosus et coagulatus sanguis ibidem collectus; praesentia molee aliusve corporis heterogenei; vel et aliquando fetus, ejusve capitis, aut membris cuiusdam retentio; distensione, mole, pondere, irritatione, putrefactione, aliisve effectibus, excitare possunt tormina, spasmos, haemorrhagias, varios fluxus, inflammationes, febres, resorptiones, cacochymias, metastases, convulsiones etc.

§. XCVII. 13°. Lochiorum fluxus nimius, a varia causa pendens, frequenter in Puerperis praesentium et futurorum morborum fertilis causa est habendus.

§. XCVIII. 14°. Lochiorum imminentia, vel maximie eorumdem suppressio, omnium frequentissimus est affectionum Puerperii fons, ex quo infinita et pessimae indolis symptomata fluunt, prout abnormi motu et congestione in hoc illudve viscus, vel aliud corporis organum,

ganum , eorum ruunt impetus (v. summi Boerhavii Aphor. §. 1329.).

§. XCIX. 15°. Calidum regimen; assumta alimenta dura, tenacia, in putredinem propria , aromatica ; potulenta vinoſa , spirituosa ; remedia stimulantia , acria , praeſertim pellentia , emmenagogia dicta ; ut et opiate , larga manu vel imprudenter in partu , aut puerperio , propinata , immaniter Puerperis nocent.

§. C. 16°. Febris lactea , quae tertio ut plurimum die corripere solet Puerperas , cum suis effectibus et sequelis , universi corporis morbis similibus ac in n. 14. non minus , quam topicis malis , ansam dat.

§. CI. 17°. Spectant huc etiam lactis istae aberrationes , quibus illud liquidum in cerebrum , aliasve magis vel minus nobiles partes , errore loci deponitur , et mala creat ob gravitatem et periculum valde notanda , illisque Mulieribus multum metuenda , quae Naturae legi et ordini refractariae proprios infantes lactare respuunt , et ad lactis secretionem impediendam vel abigendam varia artificia imprudenter adhibent ; aut iis , quae propter singulare organorum lactiferorum vitium , systematis nervosi sensibilitatem , corporis universi debilitatem , aliamve ob causam , officii hujus impotentiam lugent.

§. CII.

§. CII. 18°. Frequentissime morbis afficiuntur Puerperae a rumore, confabulatione, aliove modo iis noxio adstantium commercio, quo frustrantur necessaria sibi et salutari requie, somnoque illo carent reficiente, quem blande mulcendis et sopiendis praegressi partus, maximeque quassantium dolorum, effectibus Naturae benignus Auctor sapienter adeo destinavit.

§. CIII. 19°. Quarumvis denique Rerum non naturalium vitiæ commissa solent in genere Puerperis debilibus et sensibilioribus promptiora et magis gravia, quam aliis Feminis, ceteris paribus, excitare mala: unde Regimen Puerperarum tam medicum, quam diaeticum, et domesticum, summa temper cum prudentia debet dirigi.

§. CIV. Ex praemissis Puerperarum Morbis quum haud pauci sint, qui alias quoque Feminas solent invadere, et quorum explicatio ex generali doctrina Medica facile potest peti; non omnes illos exponere debebimus morbos muliebres: praecipuos tantum quodammodo amplius in Praelectionibus tractabimus; nempe (α) Puerperarum debilitatem et sensibilitatem; (β) Tormina post partum; (γ) Secundinarum morbosam exclusionem; (δ) Fluxum lochiorum imminutum aut suppressum;

sum; (ε) Fluxum eorumdem nimium; (ζ) Inflammationem uteri, cum ejus sequelis, abscessu, gangraena etc. (η) Febrim lacteam, et Lactis motus abnormes sive errores; (θ) Febrim purpuram; (ι) Puerarum denique Diarrhoeam. — Ceteri aliunde satis cognosci poterunt.

CAPUT SEPTIMUM.

De Morbis Lactantium.

§. CV.

Morbi variis *Lactantes* Mulieres tum Matres, tum Nutrices, aggrediuntur ex causis, quae a perversa secretione vel excretione Lactis, vel a vitiis organicis Mammarum ad lactationem ineptarum, vel a conditionibus proximum cum hisce commercium habentibus, originem suam trahunt: adeoque patet, etiam hos ex fontibus variis derivari posse.

§. CVI. Horum sequentes sunt praecipui:
1º. Febris lactea cum variis suis effectibus, non tantum ut febrium symptomatibus solitis, sed eo magis notandis, quod in corpore Puerae locum habeant, cuius sensibilitas, debilitas, aliaeque ex puerperio fluentes causae, haud raro istos reddunt enormes.

§. CVII.

§. CVII. 2°. Organorum mammalium ab affluentibus humoribus facta distensio, eorumque teneritudo, sensibilitas, dolor, spasmus, obstructio, durities, inflammatio, abscessus recens Lactantes saepe afficiunt, in primis illas, quae rite, justoque tempore, infantem uberibus non admovent, multisque irritacionibus ea exponunt.

§. CVIII. 3°. Neque in iis plane absunt effecta, quae ex lochiorum imminutione, vel suppressione, febrim lacteam ut plurimum comitante vel sequente, oriri solent, variisque morbis obnoxias reddere Lactantes; quae et in alias affectiones facile incidunt, quas post se relinquunt lochiorum fluxus nimius, aliquae puerarum morbi.

§. CIX. 4°. Repulsio materiae lacteae, aut impedita ejus secretio, et qui inde, aliove modo, nascuntur errores Lactis, seu depositiones lacteae ad varia loca, Lactantibus non nunquam, aequae ac Puerperis, varios morbos inducunt.

§. CX. 5°. Protractae vigiliae, curae nimiae, et corporis animique defatigations perpetuae, in lactandis infantibus, variis morbis laborantibus, aut nocturno somno carentibus, solent saepe Matres aut Nutrices morbosas reddere.

§. CXI.

§. CXI. 6°. Nimia nimisque frequens su-
ctio infantis, aut excedens Lactis secretio et
evacuatio, subtrahens in muliere (post par-
tum praegressum, aliave mala praeterita, de-
bili) sanguinem, et alios humores, reliquis
organis eorumque functionibus, tantis saepe
malis Matres et Nütrices afficit, ut ab offi-
cio suo desistere cogantur.

§. CXII. 7°. Sensibilitas systematis nervosi,
et mobilitas partium irritabilium, nimia, quae
cum mammis earumque papillis mirificam ha-
bent sympathiam, Lactantes obnoxias reddunt
cordis palpitationibus, deliquiis, lipothymiis,
spasmis, convulsionibus, febribus, passioni
hylericae, epilepsiae, sensuum omnium he-
betudini, in primis visionis variis vitiis, ipsique
aliquando etiam caecitati.

§. CXIII. 8°. Animi affectus, maxime
ira et moeror, saepe etiam turbant Lactanti-
um corpora, sensibilitate et debilitate ad mor-
bos inde suscipiendos praedisposita; et mala
inducunt tum in ipsas, tum praecipue in te-
nellois infantes, qui corruptam sugunt mate-
riem lacteam, redundantia.

§. CXIV. 9°. Corruptio lactis varia in
Lactantibus potest singulares inducere Mor-
bos, tum topicos, tum universales.

§. CXV. 10°. Organica partium Lactatio-
ni inservientium, eaque diuturna, mala saepe
quoque vexant Lactantes; v. g. Papillae ni-
mis

mis durae, compressae, parvae, et absconditae; earumdem dolores, fissuræ, separatio, pustulæ, excoriatio, inflammatio, ulcera, aliaque vitia; Mammarum excoriationes, erysipe-lata, exanthemata, variaque mala externa, nec non interna, veluti obstruktiones, inflammatio-nes, indurationes, scirri, carcinomata glan-dularum discos constituentium, nullibi frequen-tius, quam in hisce partibus, obvia.

§. CXVI. 11°. Ablactatio tandem etiam suos morbos in Mulieribus valet excitare, tum a difficultate impediendi secretionem lactis, et mammarum exsiccatione, maxime si haec vul-garibus remediiis imprudenter tentetur; tum a lactis repulsione; a mammarum induratione, sensibilitate, dolore, inflammatione; a lactis coagulo, aliove vitio; a nova humorum abun-dantia in corpore producta; vel a similibus aliis causis, ablactationem comitantibus vel sequen-tibus, oriundos.

§. CXVII. Ex memoratis Morbis, qui La-ctantes Mulieres adgredi solent, haud singula-tim exponemus omnes eos, qui etiam in aliis vitae stadiis illis accidunt, vel alio titulo jam explicati sunt; sed tantummodo paucos expli-cabimus, qui magis proprie ad Lactationis opus spectant: agemus itaque (α) de Lactis defectu et abundantia nimia; (β) de Lactis pra-va qualitate; (γ) de Papillarum variis vitiis; (δ) de nonnullis Mammarum morbis singula-ribus.

CA-

affligat Virgines, non raro tamen, ex variis causis exortus, sua quoque in his excitat mala.

§. XX. 5°. Mirabilis quoque illas afficit stimulus venereus, in hoc vitae femininae studio primos, principesque, suos effectus exserens: qui, cum justos intra limites continentur, admiranda efficacia naturam earum mutant, foecunditati adaptant, irritant, et ad licitam impellunt voluptatem; aliquando vero tam abnormes sunt, ut animi corruptionem, vel et corporis varios tum spasticos, tum torpidos et languidos, imo interdum quoque obscoenos morbos, qui nostri fori sunt, excitare videantur.

§. XXI. 6°. Neque excludenda videtur major illa (§. V.) corporis irritabilitas et sensibilitas, tam ratione partium contractilium, quam respectu nervosi systematis, in Virginibus maxime conspicua, quae, cum accedente insigni animi agilitate et mobilitate (§. VII.), illas reddit frequentibus spasmodicis, convulsivis, reliquisque nervorum et principii vitalis morbis, obnoxias.

§. XXII. 7°. Multos in primis morbos pati, praे reliquis femellis, solent Virgines, ubi matres student filias curatura juncea reddere, arctisque vestibus, ligaturis, thoracibus, loricisve

cisve nimis constringunt; aut quando defor-
mes imprudenti, aut perversa, variorum ma-
chinamentorum ope corrigere tentant: his
enim laesa pectoris et abdominis viscerum na-
turali actione, facile tota turbatur corporis
oeconomia, et pessima saepe excitantur mala.

§. XXIII. 8°. Vitae genus Virgineae ae-
tati proprium, in variis regionibus, et pro va-
riis vitae accidentalibus conditionibus, diver-
sum; multis quoque consuetudinis, fortunae
et morum ludibriis saepe expositum; aut pra-
vorum nonnunquam artificiorum effectibus
corruptum; imo etiam severo nimis religionis
cultu oppressum, tam frequenter causas mor-
borum producit, ut hic omitti posse haud vi-
deatur.

§. XXIV. Ex quibus patet, magnum qui-
dem numerum esse morborum, qui Virgine-
am aetatem possint comitari, quorum omni-
um plenissima expositio nimis amplius dis-
serendi campum nobis praeverebet: unde prima-
rios tantummodo hic indicabimus, in Praelec-
tionibus theoretice et practice pertractan-
dos, scilicet (α) Plethora^m pubertatis ejus-
que effectus; (β) Mensum retardationem vel
suppressionem; (γ) Mensum fluxum nimi-
um; (δ) Fluorem album; (ε) Chlorosin;
(ζ) Passionem hysterica^m; (η) Furorem
uteri.

uterinum; his denique (9) Sterilitatem, ali-
bi vix ponendam, adjungemus, quia hujus
causae in Virginibus non raro jam adsunt, vel
certe saepe oriuntur. — Quibus explicatis,
reliqui facile indagari atque explicari, tum ex
indicatis fontibus, tum ex generalibus Patho-
logiae et Praxeos medicae dogmatibus, po-
terunt.

CAPUT TERTIUM.

De Morbis Mulierum Nuptarum.

§. XXV.

Morbi Mulierum strictiore sensu appellantur
illi, qui Feminas affligunt, quatenus
hae Virorum commercio indulgentes utero
concipiunt: adeoque Mulieres foecundas a
virginitate laesa usque ad statum effoetum,
quo menstrua fluere desinunt, corripere possunt,

§. XXVI. Quum rara satis, et pauca, et
ex generali doctrina medica facile deducenda,
atque intelligenda, sint mala, quae ex primo
coitu et orgasmo venereo, nonnullis Conju-
gibus, aut corruptis Virginibus, eveniunt,
haecque vitia singularem adeo sibi titulum
haud vindicent; nec singularia alia Mulieres,
si sterilitatem excipias, ante graviditatem in-
festent; Morbi Mulierum stricte dicti solent

dividi in quatuor genera, pro variis, quae foecunditatem comitantur, periodis, adeoque in (α) *Morbo Gravidarum*, (β) *Parturientium*; (γ) *Puerarum*, et (δ) *Lactantium*: qui singuli ex suis nunc fontibus derivandi sunt.

C A P U T Q U A R T U M.

De Morbis Gravidarum.

§. XXVII.

Morbi *Gravidarum* Mulierum illi sunt, qui a conceptu fetus usque ad partus initium Mulieres ex variis causis gestationem comitantibus ita afficiunt, ut functionum sanitatis laesione inducant: quos inter nonnulli Gravidis omnino proprii, haud pauci tamen reliquis etiam Feminis non raro ex aliis causis eveniunt.

§. XXVIII. Praecipui fontes causarum illorum Morborum habentur: 1°. Seminis masculini ingressus in uterum, ejusque ulterior cum foecundae Mulieris corpore, post factam conceptionem, communicatio: quod singulari suo stimulo, ocius seriusve in plerisque, in nonnullis fere praesentaneos, effectus excitat, ab alia causa vix repetendos (v. Van Swieten Comm, ad Aph, Boerhayii Tom, IV, p. 462.)

§. XXIX,

§. XXIX. 2°. Sensibilitas major corporis, durante toto gestationis tempore Gravidas longe magis, quam reliquias Mulieres, obnoxias reddit partium mobilium et sentientium commotionibus et affectionibus inordinatis, earumque effectibus multiplicibus: quam ideo sedulo attendere solent ipiae Mulierculae, nec minus respicere debent Medici prudentes, tum in regimine Gravidarum, tum quidem maxime in remediorum, praecipue stimulantium, praescriptione.

§. XXX. 3°. Mirabilis quoque Mentis dispositio in iis datur ad animi affectus validiores, qui haud raro, insoliti et enormes dum fiunt, in absurdâ et ridicula abeunt phantasmata, non omni semper tam in ipsis Gravidis, quam in Fetibus, periculo vacua: quamvis non assentiendum putemus iis, qui naevos inde maternos, organica vitia, membrorum mutilationes, quinimo horum destructiones, oriri posse contendunt.

§. XXXI. 4°. Mensium suppressio, post factum conceptum multorum morborum scaturiginem in Gravidis aperit, durante primo gestationis stadio, illis similium, qui ex eadem causa Feminas aliis temporibus affligunt. nunc vero propter eam pejorum et periculosiorum.

§. XXXII. 5°. Peracto secundo tertiove
menis, post priorum malorum inducias, no-
va nata plethora, indeque inducta Naturae ad
expellendum solita molimina, omnibus Practi-
cis sedulo animadvertenda, novis morbis Gra-
vidas subjiciunt; praecipue abnormi humorum
circulantium motui, quo aliorum male dire-
ti congestionibus, earumque effectibus mul-
tis, ansam praebent: praetereaque systematis
nervosi turbis, maxime autem haemorrhagiae
uteri et abortui, eas exponunt.

§. XXXIII. 6°. Quoniam Abortus et Par-
tus praematurus, cum comitante haemorrhagia,
dolore, spasmo, consensuque, plurimo-
rum morborum causas possunt producere, non
dubitamus quoque hunc tamquam singularem
Morborum Muliebrium fontem enumerare.

§. XXXIV. 7°. Uteri gravi*di* incremen-
tum, adscensus e pelvis cavo, et immanis ex-
pansio, innumeros excitat Gravidarum mor-
bos: primo quidem arctando Abdomen, et
mechanice comprimendo viscera, quae in eo
continentur, praecipue hepar, lienem, ven-
triculum, intestina, nec minus partes iis vi-
cinas, nempe renes, ureteres, aortam, ve-
nam cavam, arterias et venas iliacas, nervos-
que e medulla spinali prodeuntes inferiores:
accedit Pectoris coarctatio, similesque esse-
ctus

ctus inde excitati in corde, pulmonibus, vasque majoribus: ex quibus multiplici modo circulatio, digestio, chylificatio, et respiratio laeduntur, inque tota corporis oeconomia, ejusque functionibus, ingentes solent produci turbae, variaque vitia topica excitari, inter quae tensiones, spasmi, dolores, stupores, obturations, obstructions, inflammations, congestiones, prae ceteris memorabiles sunt: unde nascitur magna series morborum abdominis, pectoris, ipsiusque capitatis; nec non artuum inferiorum torpores, dolores, crampi, oedemata, erysipelata, varices, haemorrhagiae, ulcera; labiorum vulvae inflationes, variaque vitia partium genitalium; et alia multa, pro diversa partium compressarum aut distenterum actione, variis nominibus insignienda.

§. XXXV. 8°. Increscunt illorum effectuum numerus et magnitudo, si uterus distensus, a situ naturali abludens, quamcunque assumferit obliquitatem, partesque vicinas validius comprimat.

§. XXXVI. 9°. Tanto etiam majora ab expansione et adscensu uteri existunt mala, quando vestium arctarum, thoracum balaenaceorum, similive alia constrictione pristinam ventris tenuitatem formaeque pulchritudinem

servare, male sibi et fetui consulentes, Feminae satagunt; aut graviditatem primam perverso pudore recens nuptae, meliora nondum edoctae, abscondere tentant; aut et furtivi amoris fructum celare corruptae Virgines omni modo student.

§. XXXVII. 10°. Partium Pelvis vicinia, et consensus, cum utero gravo distento, non minus obnoxias reddit Gravidas affectionibus. a vesicae, intestini recti. et nervorum sacro ischiadicorum, aliorumque, connexione, compressione, vel irritatione: unde vesicae dolores, spasmi, cystitis, dysuria, iugens distensio, ipsaque, nobis visa, crepatura; ischuria vera, vel e contrario incontinentia urinae, aut et frequentior mictus; alvi raritas, durities, tenesmus, haemorrhoides, aliquando diarrhoea; coxarum dolores, artuum inferiorum stupores, ingratae sensationes, immobilitates, similiaque mala ac n. 7. Docuitque observatio, non tantum expansionem totius, sed et corporis uteri delapsum in cavum pelvis, cum quadam subversione et orificii elevatione, similia, eaque nonnumquam lethalia mala, induisse (v. Specim. Obst. Academ. Cap. VII. ut et Act. Societ. Flessing. Tom. IV. p. 613.)

§. XXXVIII. 11°. Fetus producit non raro Gravidis molestiam et morbos, inprimis suo motu, calcitratione, fluctuatione, variisque

que gesticulationibus, quibus nauseam, vomitum, anxietatem, lipothymiam, syncopen, impetuosam orificii uterini irritationem, dilatationem, uteri spasmos, dolores, tenemos, haemorrhagiam, mictus vitia, imo et convulsiones, partumque praematurum producit: nec inficiandum est, septimo aut octavo mense saepius istos motus magis manifestos et validiores esse; non tamen ideo admittimus celebratam illam, aequa Veteribus ac Recentioribus, fetus Circumvolutionem, quam, ut capite praevio in partu naturali in lucem edi possit infans, circa illud tempus, aut versus finem gestationis, fieri statuunt: hanc enim naturali solitaeque positioni fetus humani in utero, jam a gestationis initio locum habenti, repugnare, tam ex ipsa ratione et corporum proprietatibus physicis, quam exploratione Gravidarum vivarum, et observationibus anatomicis, nec non abortibus capite praevio prodeuntibus, satis evictum esse, confidimus (v. Spec. Obs. Acad. C. VII. §. XIV. et seqq.)

§. XXXIX. 12°. Fetus quoque nutritio, incrementum, situs, et pondus; nec non Secundinarum moles, earumque in diversa regione uteri applicatio; imo et Aquae amnios abundans nimis copia, alia mala solent excitare; maxime cum gemellos, pluresve fetus, utero gerunt Gravidae.

§. XL. 13°. Extra uterum in tuba Fallopii, ovario, ipsove abdominis cavo haerens fetus, excludi nescius, sua mora, adhaesione, incremento, pondere, induratione et corruptione, aliisve modis, gravissimos aliquando morbos iisdem parit.

§. XLI. 14°. Mors Fetus haud leves saepe, et singulares, inducit morbos in corporibus Gravidarum.

§. XLII. 15°. Accedit etiam centri gravitatis mutatio in Gravidis: quae facit, ut vacillent et facile labantur, ideoque in ictus, contusiones, luxationes, fracturas, et inde sequentia mala, ob gestationem curatu minus facilia, eatenus sint procliviores.

§. XLIII. 16°. Augetur quam maxime dictorum malorum fons, si memoratis causis praedispositio accedat a deformi pelvis, spinae, thoracisve configuratione, in primis, si praegressa rhachitis illam produxerit.

§. XLIV. 17°. Ex pravo regimine Rerum, quas non naturales vocant Medici, quarumque effectus in causarum occasionalium, seu potentiarum nocentium, tractatione Pathologia generalis exponit, plerasque Gravidas prae ceteris feminis morbos pati, quotidiana docet experientia.

§. XLV.

§. XLV. Ex quibus luculenter patet, quam multis magnisque morborum causis expositae sint illae Mulieres, quae crebras, et presso pede se invicem sequutas, praegnations subeunt, in primis si juniores, nec plenum incrementi terminum adeptae, sensibiliores, debiliores, cacockymicae, valetudinariae fuerint.

§. XLVI. Propositos harum Institutionum cancellos excederemus, si omnes istos Gravidarum morbos, qui ex memoratis fontibus fluere possunt, exponere vellemus, de quibus prae ceteris summi Boerhavii Aphorismi, eorumque Commentarii, nec non alii Auctores, qui Artem obstetriciam et Morbos Mulierum tractarunt, legantur: sufficiet nobis primarios pertractasse, scilicet Gravidarum (α) Fluxum uterinum; (β) Abortum et Partum praematurum; (γ) Dysuriam et Ischuriam; nec non (δ) Mala ex Fetu mortuo oriunda: reliqui enim illarum morbi cognitu et curatu sunt faciliores, si generalia Medicinae principia bene cognita sint.

C A P U T Q U I N T U M.

De Morbis Parturientium.

§. XLVII.

Habentur *Morbi Parturientium* illi, qui a causis Partum concomitantibus, Feminas quam frequentissime affligunt: quarum iterum aliae aliis etiam Mulieribus accidere possunt, aliae Parturientibus omnino ita propriae sunt, ut sine partu locum habere nequeant.

§ XLVIII. Quae causae quum pendere possint a conditionibus ipsi Parturienti propriis, aut aliis, quae ad Fetu sunt referenda, aut et talibus, quae ad Obstetricantis encheires, vel errores, pertinent; merito earum fontes ad tres species referuntur, quatenus I^o. a Matre, II^o. a Fetu, vel III^o, ab Obstetricante, oriuntur.

§. XLIX. I^o. Ad ipsam Mulierem parturientem, seu *Matrem*, spectant causae sequentes: α) Corporis universalis, vel uteri particularis, tanta debilitas, ut vires ejus ad fetum expellendum haud sufficient, et dolorum inertia ex torpore fibrarum, aut atonia nervorum, adsit in utero.

§. L. β) Adest etiam saepe magna fibrarum, vasorum, nervorumque irritabilitas et sensibilitas, quae spasmis, doloribus spuriis, vagis, inordinatis, crampis, tenesmis, colicis, vomitui, hysteriae, convulsionibus, epilepsiae, aliisque morbis aniam dant.

§. LI. γ) Animi pathemata in Parturientibus varias ob causas, praecipue metum, facile, frequenter, et vehementer excitata, in corporibus earum valde sensilibus, sua quoque effecta noxia, tum solita, tum a graviditate pendentia, producere observantur.

§. LII. δ) Congestio humorum ad superiores partes, quam in plerisque decubitus pravus corporis, assumptio variorum stimulantium, et in omnibus fere conatus inutiles et praecoces, uteri et fetus moles atque pondus, dolorum irritatio aliaque efficacia, nixus parturientis, spasmi abdominales, aliaeque conditiones, certo excitant, gravia saepe mala producit: in primis si ad pectoris vel capitis morbos, ex hacce causa oriundos, predispositae sint Mulieres, aut hos aliosve jam patiantur.

§. LIII. ε) Febris quoque, eaque haud raro satis valida, corripit Parturientes, ab irri-

irritatione partus, et consensu uteri cum toto corpore (§. VI.), animi perturbatione, aliisque causis sensibilitatem et sanguinis motum impetuosum incitantibus, enata: quae adeo et variis suis symptomatibus illas reddit obnoxias.

§. LIV. 2) Partium genitalium externalium et internalium mala conformatio, aut morbi variii, multis et magnis malis Mulieres in partu exponunt, v. g. structura non naturalis; arctitudo; atresia; polypus uteri vel vaginae; procidentia; scirrhus; tumor; siccitas; inflammatio; ulceratio; carcinoma; cicatrix, similiave vitia.

§. LV. 3) Partium vicinarum mollium vitia, veluti Herniae; Intestini recti infarctio ab accumulatis faecibus, tenesmus, haemorrhoides, et prolapsius; Vesicae urinariae difficultis evacuatio, distensio, vel et hernia, aut calculus, indeque orta lotii suppressio, aliive morbi: Perinaei tenacitas in primiparis maxime annosis, aut callositas a praegressa fissura, huc etiam revocandae sunt.

§. LVI. 4) Maximi, iisque periculosis simi, morbi Parturientibus imminent a prava conformatione Pelvis osseae, tam ratione capacitatis imminutae, quam nimis auctae.

§. LVII.

§. LVII. 1) Nec parvam hic attentionem
meretur ligamentorum pelvis, speciatim sa-
cro-ischiadicorum rigiditas, et minor, quam
par est, extensilitas, primiparis aetate prove-
ctioribus toties nociva.

§. LVIII. 2) Situs uteri recedens ab axi
sua et pelvis, quem obliquum vulgo vocant,
gravia quoque mala solet excitare, partum-
que difficillum, imo saepè lethalem red-
dere potest, praeter illos effectus, quos et
in gravidis producit (§. XXXV.)

§. LX. 3) Haemorrhagia uteri a variis
causis oriunda, summi momenti est haben-
da, quum Parientes liquore vitali orbet, vi-
res uteri totiusque corporis frangat, dolo-
rum efficaciam sufflaminet, in lipothymiam,
syncopen, imo et convulsiones, conjiciat fe-
minas, adeoque periculorum morborum
uberrimum fontem aperiat.

§. LX. 4) Dantur etiam Parientes, in
quibus gibbositas, aliave depravata corporis
conformatio, nec non singulares quidam
morbi, partum reddunt diuturnum, diffici-
lem, vel et praeter naturalem, ita ut eum
morbi varii comitentur, aut sequantur.

§. LXI. 5) Omnis denique lento, quo
partus

partus ultra solitum tempus protrahitur, diuturnitate effectuum, quos nixus, dolores veri spuriive, animi affectus, vigiliae, cerebri oppressio, nervorum sensibilitas, circulatio humorum incitata, febris, aliaeve conditiones, tum in primis praesentes, producunt, multis pravis symptomatibus ansam praebere solet.

§. LXII. ξ) Neque tamen ab omni culpa liber habendus partus magna nimis celeritate peractus, quoniam et hicce fetum quasi precipitando, et violenter afficiendo partes ad enixum concurrentes, non raro morborum causa existit, v. g. genitalium inflammationis, rupturae, gangraenae uteri, prolapsus, atoniae, spasimi, aut haemorrhagiae, imo et horrendae, solisque partum enixis propriae, ejusdem inversionis.

§. LXIII. II^o. Ad *Fetum* (§. XLVIII.) in utero retentum variae spectant Parientium Mulierum affectionum causae: scilicet I^o. Ejus nimia moles, tam capitis, aliarumve singularium partium, quam totius corporis: quae etiam propria esse potest, vel relativa: similiaque, ac pelvis angustia, inducit mala, praeter illa, quae a pondere et pressione majore dependent.

§. LXIV. 2^o. Motus Fetus nimis validi in
ipso

C A P U T O C T A V U M.

De Morbis Effoetarum seu Vetularum.

§. CXVIII.

Appellantur *Morbi Vetularum* illi, qui Feminis praecipue circa et per eam contingunt aetatem, qua fiunt effoetae: adeoque ex conditionibus fluunt, quae cessationem Fluxus Menstrui inducunt, simul cum impotentia ad opus generationis; affligunt itaque eas ab anno circiter quadragesimo quinto (ocius has, serius alias) usque ad ultimam vitae metam.

§. CXIX. Multae quidem Vetularum affectiones communes his sunt cum aliis Feminis; multae etiam cum Senum morbis plane convenient; nonnullae tamen singulares quasdam, in statu effoeto quaerendas, causas videntur adscire; quarum indoles et potentia faciunt, ut merito a reliquis Mulierum morbis distinctae suo titulo tractentur, inque curandi methodo sollicite considerentur.

§. CXX. Praecipuae illarum causarum sunt sequentes: 1º. Plethora inenstrua: quam consueto more etiamnum inducere corpori feminino pergunt hujus actiones, dum interim ex constituta Naturae lege in eo, maximeque in pelvi, et uteri substantia, tales jam factae sunt mutations, quae solitam intercipiunt et impediunt evacuationem, vel saltem illam determinato motu solito non promovent, unde innumera adeo

D

mala,

mala, tam in universo corpore, quam in vicinia uteri, ut et in ipso hocce organo enascuntur, ut multis tempus hocce vitae muliebris climacterium reputetur. Sic v. g. (α) *In toto Corpore* oriuntur circulationis humorum tarditas, turbaeque variae; motus abnormes sanguinis ejusque congestiones; haemorrhagiae per praeter-naturales aequa ac naturales corporis aperturas; febres; obstrukciones; humorum effusiones; inflammationes; secretionum et excretionum turbae; cacochymiae; cachexia; spasmi; pa-siones hystericae; convulsiones; dolores qui-cunque topici, et sexcenta ex dictis generalioribus emergentia symptomata: (β) *In vicinia Uteri* excitantur tensiones; spasmi; dolores; aestus; colicae; tenesmi; stranguria; ischuria; diarrhoeae, aut alvi durities; haemorrhoides; obstrukciones et inflammationes topicae; eorumque omnium varii effectus: (γ) *In ipso utero* distensio; spasmus; dolor; tor-mina; obstructio; inflammatio; fluxus immo-dicus ruber vel albus: qualia etiam mala Vagina saepe patitur ex eadem causa; neque ab iis im-munia temper sunt Ovaria et Tubae.

§. CXXI. 2°. Stagnatio sanguinis in Vasis uteri et vicinarum partium, maxime vero ejusdem inspissatio et corruptio, accedensque acri-monia, facit, ut dolores, obstrukciones, inflam-mationes, tumores, scirrhi, ulcera, fluores, cancri, farcomata, molae, prolapsus, similia-que,

que, enascantur : quorum malorum varia quoque vaginam, tubas et ovaria adgredi solent.

§. CXXII. 3°. Effunditur non raro ex ruptis vel dilatatis vasis ille sanguis in ipsum uteri cavaum, ibique stagnans coagulatione, irritatione, distensione, corruptione, aliove modo, non levia mala excitat.

§. CXXIII. 4°. Neque videtur negandum; ratione feri aut lymphae similem accumulacionem nonnunquam factam fuisse, atque, occlusa orificii apertura, ansam praebuisse hydropi et tympanitidi uteri: de quibus certe in ovariis et tubis nullum dubium datur.

§. CXXIV. 5°. Resistentia, quae ex uteri rigiditate majore, siccitate, et contractione, nascitur, haud absimiles producit effectus, quamvis etiam humores non peccarent; tanto vero frequentiores, quo manifestius n. 2. fons cum hocce concurrat.

§. CXXV. 6°. Nova conamina et molimina, quae in Vetularum aetatis progressu haud raro instituit Natura ad Mensium fluxum renovandum (quibus sat frequenter anno LX aut LXX denuo menstrua erumpunt) suis quoque malis, ex n. 1, 2. et 3, facile intelligendis, Feminas effoetas reddunt obnoxias.

§. CXXVI. 7°. Neque excipienda hic sunt Lactationis organa, in quibus repulsio sanguinis uterini ad mammas, earumque inde nata irritatio atque distensio; harum siccitas et resistentia; obstructio; inflammatio; abscessus; lactis corruptio,

ruptio, stagnatio, et coagulum; induratio, scirrhus, dolor, cancer, similesque morbi, in hac praecipue aetate Effoetas cruciare observantur.

§. CXXVII. 8°. Videtur in Vetulis mirabilis quoque latere dispositio, qua corporibus eorum cancrosae indolis inhaerens labes nunc facile evolvitur, inque partes glandulosas saeviens, vel in uterum delabens, dira et tristia mala excitat, ne ipsa quidem partium affectarum resectione, facile semper extirpanda, et impedienda, quominus alias, et praesertim similitudine functionis gaudentes, partes eadem denuo labe inficiat: quae malignitas in nonnullis quoque Feminis per haereditatem a matre in sobolem transfundit quasi videtur.

§. CXXVIII. Omnes istas Vetularum affectiones explicare haud sinit scopus noster, earum quippe plurimae cognosci satis possunt ex aliorum vitae stadiorum Muliebribus Morbis: nonnullas itaque tantum notabimus, prae reliquis frequentes aut graves, ideoque sui accuratam cognitionem et curandi methodum exigentes, nempe (α) Graviditatem falsam; (β) Scirrum uteri et Cancrum; (γ) Hydropem uteri ejusque Tympanitidem; (δ) Hydropem ovariorum; (ε) Molam denique et Ex crescentias varias. Praeter haec enim, quae alia satis multa Vetulae patiuntur mala, ex accidentalibus corporis conditionibus derivanda, ex generali senectutis Pathologia facile cognosci possunt,